

A V G V S T I N I

S T E V C H I E V G V -

B I B L I O -

T H E C A -

R I I

*

DeAqua Virgine in Vr-
bem reuocanda.




C O M I T E F O R T V N A .



L V G D V N I A P V D S E B .

G R Y P H I V M ,

M . D . X L V I I .



7 400 40 Staffa
M A C H 19 1924

A V G V S T I N I

S T E V C H I E V G V -

B I N I B I B L I O -

T H E C A -


R I I

*

DeAqua Virgine in Vr-
bem reuocanda.



VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

L V G D V N I A P V D S E B.

G R Y P H I V M,

M, D, X L V I I .

A V G V S T I N I E V G V
B I N I B I B L I O T H E C A R I I ,
D E R E V O C A N D A I N V R -
B E M A Q V A V I R -
G I N E .



R B I S terrarum domina , mater
omniū gentium, bonarum rerum
fecunda parens, maiestatem eius
memoriæ repeteti incredibile de-
siderium accendit , ut eam , si non
qualis , ac quanta fuit , quoddam
certè tantę magnitudinis aliquan-
do meis oculis uideam simulacru-
mum omnium gentium denuo in se oculos , atq; ora con-
uertat , communemq; parentem omnes agnoscentes ad
instaurandam claritatem eius uniuersos concurrere cer-
nam. Atq; hoc meum desiderium , necq; prodigiosum ,
inusatumq; haberi potest , necq; earum rerum , quas na-
turæ facultas non admittat ; sed earum , quæ & naturam
habeant , ut fieri possint , & quæ nostris oculis facile con-
spicerentur si qua publici commodi , solidæq; gloriæ
cupiditas , principibus nostris inesset. Simul præteritos
annos , totamq; posteritatem animo complectentes ,
quæ studia hodiernam hanc amplitudinem Romæ
conciliarint secum considerarent , quibus causis omnes
nationes hanc sedem uenerandam , colendamq; sibi ma-
xime existimarint. Quibus ue pietatē , uenerationemq;
omnium gētium Roma assecuta fuerit. Tum quid aliud
superstes fuerit his , qui olīm rerum potirentur , aut pos-
sunt sit esse

a z

4 AVG. EVGVB. DE REVOCANDA

sit esse quantas uelint, cumularint opes, patrimoniaqp
auxerint, suos in excelso dignitatis gradu collocauerint,
quam gloriam, famamqp rerum gestarum. Quarum re-
rum consideratio, quid aliud agere cogat eos, qui rebus
moderentur, quam gloriæ summi Dei, atqp immortalis
tati suæ enixè studere, quæ omnis in amplificatione pu-
blicæ utilitatis perspicitur? Cui ueteres pontifices omni
conatu, totaq animi contentionе incumbentes, dum ni-
hil publica charitate antiquius habent, dum paterna be-
nevolentia cunctos generatim amplectuntur, fecerunt
ut hunc locum omnes nationes sacrosanctum habentes
uelut pietatis domicilium uenerarentur, & ad hoc san-
ctius ærarium pecuniam sacram omnibus è locis mitte-
rent quas optimi principes in publicos usus transigeret.
Itaq si parem gloriam, atqp immortale decus insequuti
principes adamassent, iam Romam ex toto orbe Chris-
tiano, subsidijs huc confluentibus in pristinum ferè de-
cūs restitutam conspicari liceret, in quam plurimis ab
hinc annis tanta pecuniæ uis est illata, ut eæ res effici po-
tuerint, quæ Romæ ueterem potentiam, magnitudinēqp
operum facile consequerentur. Mirari certè necesse est,
cùm tantus laudis campus pateat, cùm magnitudinem
animi multis in rebus principes comprobare possint,
quorum tanta sit apud omnes nationes autoritas, qui-
bus reges parere gaudeat, quin ad hanc occasionem ex-
citati maximas res, ipsiq in primis urbi, tum uniuerso
Christianorum generi profuturas animo concipientes,
se fūmillimos Deo eximijs factis ostendant. Quos ui-
uentes uniuersi laudibus in cœlum ferant, faustis accla-
mationibus prosequentes, incolumitatem, salutemqp eis
optantes, defunctos ueluti Deos colant, eorum memo-
riam

IN VRBEM A QVA VIRGINĒ. 5

riam cum admiratione repetentes. Quis autem non
perspicit quanta materia laudis consequendæ proposi-
ta sit, cùm multa hinc inde iacentia, pietatem, charita-
temqp alicuius principis desiderent, qui rerum restituta-
rum gloriam à cæteris neglectam sibi præripiat, quam
curis inanibus, celeriterqp extinguendis, ac perniciofis
factis animos implicantes, ceteri nec sensu perceperunt,
nec oculos in hanc meliorem partem conuerterūt, quo-
rum dum uiuerent interitus ab omnibus expetebatur,
defunctos contemnunt, execrantur. Eum certè, qui celè
huic religionis arcī præsidet, conuenit esse, de quo præ-
dicare solent philosophi πεδαρχέψ τῷ νῷ obtēperare men-
ti, & rationi, quem amore iustitiæ conflagrare norint o-
mnes, quam iisdem illi afferunt uespertinum, matutis-
numqp fidus claritate superare ἡθὲς ἡῶς, ἡτω θωμα-
σός. Neqp Luciferum aiunt, necqp uesperum tantopere ad-
mirabilem esse. Romam igitur cum uetusta religione,
ac pietate, quam sanguine suo illustres animæ peperere
nobis, reflorentem, & ad cultum, ornatumqp priscum
restitutam aspicere cuperem, huc me demum multa col-
lustrantem, ueteresqp ruinas animo uersantem, miseran-
temqp cupiditas deduxit, ut Aquam uirginem reuersam
in Vrbem, largiterqp domos, ac paradisos, ut quōdam,
foraq influentem cernerem. Quam quidem meam cu-
piditatem, ne uana, aut impossibilia affectasse uiderer,
non ipsa modo ratio, ac rei contemplatio, sed item ex-
perientia, & usus, probataqp oculis res uehementius in-
cendit. Omnia enim aquarum, quas olim Romani pa-
triæ suæ, ac publicæ utilitatis amantes induxerant in Vr-
bem, quibus urbs omnis, teste Strabone, uelut altero
Tiberi largissime confluens, una hæc in primis largior,

6 A V G . E V G V B . D E R E V O C A N D A

überiorq; omnibus, & ad hodiernam Vrbem accomodatior, minori dispendio reuocari posset. Ortus autem huius aquæ à Julio Frontino, exitus ex arcu, passimq; per urbem memorij intelligi potest. De toto autem aquæductu discere licet si per agrum Romanum ab ortu, atque exitu aquæ uestigia quæ nunc extant, & spiramenta in subterraneum aquæductum descendantia secutus, totum aquæ iter oculis complectaris. Sed finis Aquæ Virginis nemini non perspicuus est, cum omnes qui campum Martium incolūt, quo nunc maxima pars Vrbis deducta est, hauriant ex fonte, incisicq; marmore tituli testentur, hanc esse Aquam Virginem. Estq; porta Septorum, qua sepiebatur, secludebaturq; campus Martius à reliqua Vrbe, ad eius caput aqua transiens, tum per campum Martium delapsa pomaria, lucos, nec non lacum naumachiae influebat. Hac porta tituli marmorei conspicui testes sunt inde transeuntis aquæ, cuius arcus ueritate collapsos, Titus Claudius Germanicus Cæsar restituerit. Nicolaus etiam Quintus, memoriam facti sui posteris relinquens inscripsit marmori, quod omnines, qui haurirent, prospectaret sese fontem uirginem suis expensis restaurasse. Sistus autem superioris memoriae Pontifex quod eius aquæductus detrimenta quædam sarsisset, obtinuit ut à poëtis ei caneretur

Virgineam Triuū quod repararis aquam.

Nemo igitur est, cui non sit perspicuum, Fontem Virginem esse, quem nunc uulgo uocat fontem Triuū, quod tituli priscorum Imperatorum, & recentium Pontificum testantur. Sed maxima perturbatio, multiplexq; inscitia obiecta est, quod si quis iter à campo Martio reflectat, manantis aquæ exordium scrutaturus, cùm sese

in

IN VRBEM AQUA VIRGINE. 7

in subterraneum iter mox aqua recondat, uix mille passus egressis urbem ex puteis illis cognita, inde recedens ab oculis, nullisq; amplius indicijs perspecta, quum etiam depresso uallibus occurritibus, per quas in lucem prodire opere arcuato eam oportuisset, nulla eius uestigia, nullos arcus, nulla omnino indicia cernas. At Julius Frontinus docet octauo ab urbe milliaro Aquam Virginem in agro Lucullano, in locis palustribus uia Collatina concipi, tum totum iter aquæ explicans, maxima parte subtractionibus, aut specubus subterraneis, nonnullis autem locis propter demissiores ualles, opere arcuato, à cliuo ad alterum cliuum fluere monstrauit. Sed cùm multas iuxta eam uiā aquas concipi uideas, nullas tamen hodierno tempore cernes, seu conspicuis operis arcuati structuris, seu subterranea fossa ad urbem delabi. Nec fortasse ad hanc usq; etatē repertus est, qui huc ingenuum appulisset, cogitationēq; exacuisset, ut cum in urbe titulos marmoreos ap̄lissimos Virginis testes, ipsumq; fluentem fontem habeamus, nullis tamē toto Romano agro collustrato locis, Aquam uirginem descriptā à Julio, quæ hodie influat in urbem deprehendamus. Tum controversiam quis dissoluat, quæ nam sit exigua illa aqua, quæ hodie ex Fonte Virginis hauritur, cùm Virgo, quam descriptit Julius, nō ueniat ad Vrbem, & fons ipse hodiernus cùm tenuis est, ut dixi, tum breue iter extra urbem uix ad mille passus progreditur. Meo igitur opere, mea in hanc omnium gentium matrem, lucem orbis terrarum pietate, hoc omne patescatū est, (si quem Deus demittat ē cœlo, qui factum hoc immortale secutus, æternumq; suæ bonitatis in urbe testimonium relinquentis non leues illas Sisti, aut Nicolai super hoc aquæductu

ductu minutias, sed omne laudis tantæ corpus amplectus, totam ipsam aquam, tot annis à mœnibus urbis exultem, incredibile huic magnæ patriæ utilitatem, commodumq; allaturus reuocet. Quis enim uenerabili bonarum artium genitrici, omnium mortalium benefactrici, non omnia bona, omnem lucem, ornatūq; cupiat? Itaq; incredibili studio (ferebar enim cupiditate inueniendi, quæ magno commodo clarissimæ terræ futura prospicerem, incēdendiq; ad hanc laudem, quos Deus ad eam destinasset) reperta mihi est omnis ab ipsis largissimis scatebris ad urbem usq; per agrum Romanum uaganti, illaç; spiracula sequenti, uia non quidem nunc fluentis aquæ, sed quæ felici priscom Romanorum seculo, forsan ad tempora Gottorum manabat in Vrbem, alluens, quemadmodum superius docui, campum Martium, quem locum omnium toto orbe pulcherrimum, amoenissimumq; fuisse scribit Strabo. Reperta est autem nec labore, nec tempore exiguo, cum omnis penè aquæ ductus ab origine sit subterraneus, omniaç; tanto temporis spacio uetus misquerit in agris, ut cū quatuor, aut septem puteos introrsus iter aquæ monstrantes repereris, hic necessario nullis amplius, uel multa indagine repertis, nescius quam in partem spiramentorum ordo procurrat, incepto desistas. Sed quid non studio, atq; industria, opponat sese difficultas omnis licet, mortales consequuntur? Quo non aspirat ardor, quem speculando, mentemq; exercendo semel concepisset? Recte priscis dictum est, D E V S A D I V V A T F A C I E N T E S . Itaq; iuxta uiam Prenestinam, & Collatinam ab urbe septimo, aut octavo milliario, in locis palustribus, scatent uberrimi fontes, ijsq; nusquam in omni agro

Roma

Romano pulchriores, aut largius, abundantiusq; in lumen exilentes. Atq; ex propinquis motibus, ut par est, ea liquorum copia in hunc locum cogitur, ut omnia fontibus irrigua, largas undiq; scaturigines manare cernas: ut recte scripsiterit Iulius, locum esse palustrem, non quidem aqua segni, aut lacunis restagnantium aquarum, sed multitudine, ac largitate gelidorum, salubriumq; fontium. Ex his largus, ac perlucidus amnis coactus non procul inde recipitur Aniene, qui ex monte Tyburtino præcipitans, celeritatemq; ruinæ ubiq; demonstrans, sese Tiberi miscere paulo longius properat. Hanc celeritatem, atq; hunc Anienis iuxta fontium horum scaturigines præcipitem cursum constat Romanis indicio fuisse posse fontes hos licet accurrerent editi colles Romæ deduci, quod deiectioribus locis, depressoq; sit Roma, nempe campus Martius, ut ad quam Anio cum Tiberi citatus fertur. Itaq; opere Signino circuicto, quod solidissimum, & ad continendas aquas aptissimum est, coactisq; in unum omnibus scatebris, atq; his cliuis, qui occurrerent, quoru plenus ager Romanus est suffosus, at cōuallibus circumacto semper per cliuos aqueductu uitatis, aut in his arcus attollentes, Romam in campum Martium, qui depresso locus esset, Roma autem in colibus habitaretur aquam deduxerunt. Hæc uestigia passim per agrum Romanum reperies, nunc uidelicet tumulos effossos, quod ordo frequentium, & inter se propinquaorum spiramentorum demonstrat, quibus dum erueretur aqueductus materiam effossam egerebant, deinceps autem ipsum aqueductum cum usus posceret expurgabant, aut in aliqua conualle, uideas nunc integros arcus, nunc eorum fragmenta. Ab ipsis autem fontibus,

b quod

quod demissiore loco exprimuntur in lucem, continuo per colles obiectos specus agere necesse fuit, ac longissime per subterraneum meatus iuxta viam Prænestinam, & Collatinam aquam deducere. Inde tribus, aut quatuor passuum millibus propter hanc viam confectis, flebitur ad viam Tyburninam, redditura ad Anienem, quem à principio itineris reliquisset. Hunc in magna conualle per arcus, qui ripæ fluminis imminent non procul à pôte Nomentano, pretergressa redit in viam Nomentanam, eaq; per effossum collem trajecta, oblataq; alia cōualle, atq; arcus ascendens, flectitur Romam uersus ad viam Salariam, seu Collatinam, Pincianam uē: Exinde uincta ingressa, ac ueluti cubito ad ortum, & meridiem sese retorquens, occasu, & septentrione relicto, inter portam Flaminiam, ac Pincianam subit moenia urbis semper meatu subterraneo, donec ad radices collis in campum Martium egressa super portam Septorum fundit se se per uicos urbis. Ipse igitur viæ indicēs sunt itineris. Operè pretium autem est nosse, quæ nunc in urbe ex fonte Virginis hauritur aqua, non eam esse, quæ locis palustribus septimo ab urbe millario, in agro Lucullano concipitur, autore Iulio: Sed cum ipse Frontinus in descriptione huius aquæ, afferat eam in illo subterraneo itinere multis acquisitionibus crescere, repertis scilicet dum aqueductus seruili manu effoderetur, nonnullis aquæ uenis, hisq; associatis, haec sunt uidelicet quæ hodiernum fontem conficiunt uix mille passus extra urbem ortum habentes. Non est igitur haec principalis, amplissimaq; illa aqua, uberrimi illi, illustresq; latices, sed tenues riuuli, non procul urbe nascentes. Ipsa quin etiam aqueductus magnitudo indicat, non riuulis illis fuisse param.

tum. Pleno autem alueo fluxisse docent currentis aquæ in pariete dextra, leuaq; impressa uestigia. Cum igitur fons hodiernus ea tenuitate habitatoribus incredibilem alacritatem afferat, quid fore putas, si quantus est ad scaturigines afflueret? Medius fidius omnia fora, domos, palatia, hortos fontibus irrigua uideremus. Ipsam planè Vrbem huius aquæ commodo reflorentem, ingenti ad eam colonorum facta accessione spectaremus. Hos igitur admirandos, illustresq; fontes esse aquam Virginem omnibus poëtis, historijsq; celebrem, cum totus aqueductus, quem indicibus spiramentis secuti uenimus ad urbem, tum uero Frontini descriptio perspicue comprobat, quod plenus scaturiginum, quod palustris hodiernus locus, quod spaciū ab urbe ipsum est, & iuxta viam Prænestinam & Collatinam, quod iter aquæ totum penè subterraneū medijs effossis, penetratisq; montibus, & quasi eorum uisceribus adaptatis, ut uix mille passus super molibus arcuatiss exeat in lucē, locis deiecti oribus. Cumq; spatium ab urbe ad fontes recto itinere ad septem millia passuum extendatur, propter inflexiones tamen aquæ quod Romani effodere montes, ac per aquam circumagere maluerunt, quam in uallibus arcus attollere, nisi necessario cogerentur, efficitur ut hoc spatium ad alia millia septem passuum augeatur. Hi fontes hodie uocantur Salones, omnibus notissimi, nisi quod ignotum erat hanc esse Aquam virginem hos olim fontes in Vrbem solitos influere. Atq; adeo res obscura fuit, ut etiam illustres Romanæ curiae uiri, qui ad hanc aquam, uillas extruxerunt, inscripserint marmore, hanc esse aquam Appiam, quos aperte sefellit codex mendosus Iulij Frontini, quo describens aquam Appiam, dixit

b 2 eam

12 AVG. EVGVB. DE REVOCANDA

eam concipi uia Prenestina sinistrorsus. Sed propter si-
militudinem scriptioñis sinistrorsus, ac dextrorsus effe-
ctum est, ut de aqua Appia mendose sinistrorsus scribe-
retur, quod in alijs plerisq; fit. Sed docere illustres illos
uiros poterat reliqua pars descriptionis aquæ Appiæ,
quam prosequitur Iulius, qua docuit caput huius aquæ
esse ad Salinas, & ingredi urbem per portam Capenam,
sive Appiam. Quod iter tenere non posse fontes Salo-
nis, quod ager Romanus ad eam partem, nempe ad pre-
cipitatem Anienem, maxime deprimitur, nemini non
perspicuum est. Exurgitq; agri Romani dorsum ad or-
tum æquinoctialem portasq; orientales urbis. Quo qui-
dem assurgere minime Salonis aqua potuisset. Sed quid
moror? non ne ipsi uulgo aqua Appia notissima est? ut
quam ueteris appellationis remanente uestigio, uocant,
Aqua d'Acio, quæ quidem eodem itinere quod Iulius
docuit iuxta portam Appiam sive Capenam prolapsa,
demum uiam Hostiensem intersecans deuoluitur in Ti-
berim semper ad meridiem: at Virgo in occasum, & Se-
ptemtrionem. Ipse quoq; Virginis aqueductus conspi-
cuis illis uiri index esse poterat, hanc Appiam esse non
posse, quod uestigio iuxta fontes illos ingrediens tere-
bratum collem, ac longissime per agrum Romanum cir-
cumacta tandem urbem influit in campo Martio, ubi
marmorei tituli aquam Virginem demonstrant.

Percepta igitur insignis aquæ origine, deprehensis,
indicatisq; egregijs fontibus, nec non eorum itinere co-
gnito, ac quanta futura sit urbi ex aqua commoditas,
omnibus perspecto, iam certè perspicuum est, quid lau-
dis assecurus sit, quos titulos sibi, trophyumq; erectu-
rus, cui mentem ad hæc aspirabit Deus, magnum suæ
laudis

IN VRBEM A QVA VIRGINE. 13

laudis architectum eum constituens. Ac quanquam ani-
mi magnitudo ex difficultibus reddit facillima, ut si qua
etiam grauior occurrat hoc in opere difficultas, ea ma-
gnam mētem tanto commodo proposito deterrere non
debeat, attamen eadem nos prudentia, & rerum com-
probatio quæ fontium originem, iter, & omnem huius
rei naturam indicauit, docuit item nullam obstatre cau-
sam, quo minus iniuria temporum, grauissimarumq;
Italiæ calamitatum concursu collapsam sanctissimi fa-
cti memoriam restituamus, atq; eam minus, quam ui-
deatur si nobiscum cogitauerimus labefactatam repre-
mus. Non enim proponitur nunc ut nouum aquædu-
ctum, quod fortasse opes hodiernæ præstare non pos-
sent, effodiamus, non ex longinquis spacijs aquam ad
urbem euocamus, sed expectantem nostras manus, et ad
se suas fontes implorantem reduci astare paratum non
magnas expensas poscentem, exiguo labore refici posse
inq; eo omnia nobis fore procluia prædicamus. Est in-
teger totus, saxa illa, molesq; tumulorum, efforata ea-
dem sunt nullo labentis æui detimento deleri, atq; e-
uerti potuerunt, idem collum situs, eadem locorum
natura. Nihil ex pristina consuetudine ferè demutatum.
Omnis enim aqueductus est subterraneus, non ut relia-
qui in altam Romanam excelsis fornicibus aquam trans-
portantes, quos senio, & Barbarorum iniurijs colla-
psos reficere nostræ opes forsan non possent. At paucis
locis cogemur duntaxat meatu inferne perpurgato, ar-
cus reficere, quorum num etiam fundamenta extant,
nonnunquam substructiones, quæ supersunt redinteg-
rare. Quæ omnis expensa ipsis architectis autoribus,
qui ad hæc uisenda, solerterq; perpendenda sapienter con-

14. AVG: EVGVB. DE REVOCANDA

uenere uix ad quindecim millium aureorum summam accedit, si quis modo rectam secum rationem inire insit, secumq; cogitet, quantus operarum numerus omni subterraneo meatu expurgando sufficiat, aut quid reficiendis paucis illis arcubus pecuniarum debeatur. Ostensta quoq; prudentibus, rerumq; peritis ratio est eius stigio recuperandarum expensarum cum refecto aqueductu, redditq; Vrbi uberrima aqua, qui Romanis olim mos fuit, idq; nonnullæ Italæ urbes retinent, ut a quæ uolentibus in suas domos deducere uenundetur, quod pretium longe multiplex inita ratione futurum est, quam expensæ reficiendi aqueductus. Tanta autem hæc aqua est, ut uniuersam urbem possit alluere uelut amnis decurrens, atq; deprehensem quoq; architectorum ratione est ubi in Campo Martio ex specubus illis prodit in lucem, cùm locus is sit ad radices collis, reliqua deinceps hodierna urbs sit plana per totum campum Martium, reliquamq; planiciem, in qua publicæ operæ fuerūt, templo, theatro, thermæ, urbs autem in collibus habitaretur, hūc locum altiorem esse omni ipsa urbe, ut duci possit aqua per omnem. Primū in foris uberes spectare fontes, publiceç; haurire licebit ante portā Flaminiam, urbem ingressis, tum per omnem ipsam viam ad forum sancti Marci. Tum in foro Pantheon, in Campo Flore, demum per omnem urbem, omnibus illustriū uirorum domibus exiliante aqua Citriorūq; lucos obeunte, non fontes ficticios, quorum iam ingēs copia Romę esse cepit, sed ueros naturalesç; Latices fluere medijs in penetralibus aspiciemus: quo spectaculo, quid iucundius esse possit? Quis non laudibus in cœlum feret, diuinimuneris autorem, quando Nicolaus, & Sistus sibi immorta

IN VRBEM A QVA VIRGINE. 15

mortales titulos excitari uoluerūt, ob leues nescio quas huius aquæ sarcas iacturas, idq; non per totum aquæ ductum, sed ad caput tantum. Quis hodie uirorum præpotentum est, quin sibi intra palatum quibusvis expensis paret hanc uoluptatem, ut quando salientis aquæ, ueroç; ritio decurrentis facultas denegata est, eam simu latis fontibus scatentem, murmuratimq; aspiciat. Mito ueriora, solidacç; commoda. Aqua uenali ex Tibur utitur Roma salubri quidem illa, quod ex montibus defluens, cruditates omnes multa spacia per saxa, harenamq; deuoluta relinquit, aut quod sulfureus Nar excoquens redigit reliquam aquam ad naturam mitiorem. At illi fontes saluberrimi quoq; sunt ex uicinis montibus longa spacia prolabentes, æstate tactu gelidissimi, hyeme calidores, quod salubrium aquarum indicium est. At quanta lætitia erit, quæ rerum exoptanda comutatio ab aqua uenali, cuius sæpe inopia est, quam ex longinquo flumine allatam, eamq; sæpius limosam, ac turbidam emere, ac subito bibere cogimur, uerum esse ad aquam omnibus expositam, ac paratam ad ueros, uberesç; fontes, unde omnes ad satietatem hauriant, & commodè utantur? Quid aliud hoc planè futurum est, quam ipsam denuo condere urbem. At quæ nam fraus, aut inuidia nunquam non conatibus honestis inimica, dissuadensç; utilia, nos deterreat ab inceptis, quibus proxime ad superos accedamus, futuras scilicet has intolerabiles impensas, aut cùm sint inclyta, plenaç; laudos, deejciat, ac deprimat, non esse tanti, ut huc aduertere mentem principes deceat. Iterum itaq; moneo debere nos huc omnem cogitationem, uimq; animi conferre, intentè perpendere, num uera sint quæ scribantur. An

reipub. tantopere intersit rationibus scribentis persuaderi. An uerè hæc sit aqua Virgo, atq; his ex locis aduerteretur urbem, an extet antiquus aquæductus integer ferè totus quippe subterraneus intra montium, saxorumq; duritiem cuniculis actis, tofoq; suffosso. An is uerus sit uirginis aquæductus, & an facile possit opus non magnis expensis restituiri. Magnas autem dico, que superent opes hodiernas. Atego contendo multa quotannis solitos facere pontifices longè maioris impendij. Quod si hæc refugiunt, nequid detrimenti publicum ærarium patiatur, at populum, quoniam totius urbis hoc beneficium est, in singula capita ad hoc opus concurrere iubebant. Nam neq; multum erit quod à singulo exigatur. Sed hæc mihi facillima uidentur, si modo non desit, aut succumbat animus, qui sæpe ad bona, laudataq; frigescit. Nec subit uirtutis imago. Paucos enim euexit ad æthera. Hoc me quidem omni spe destitutum ægritudine conficit deuium iter nostrum, seclusumq; à consortio Deorum aspicientem, in cœlumq; auolasse, quæ terras aspectu iucundissimo solari consuesset, & crudelem inter algores, noctemq; profundam nos deseruisse, ut nō uē exulare sorores omniq; aditu prohiberi uideremus. At erit cum restorētem urbem, cum uer antiquum rediisse lætabimur. Nulla nostros oculos res exoptata diffugiet, excussaq; hyeme terris iradians nouus ardor afflabit. Et Charites manibus spargent lilia plenis. Que igitur, ut ad lymphas redeam, tam abiecta Italæ urbs est, (nam sæpe parua magnis, ut ille inquit, recte conseruntur,) quæ non etiam difficulti transitu fontes, seu flumina ad se deduxerit? Aliæ saxa inter ardua, & scopulos, præruptas, asperasq; rupes, iter fontibus aperientes, nullis.

nullis sumptibus parcentes, qualem Iguuñ patriæ meæ aquæductum suspicio obstupestes, aut Perusiæ longissimè petitam, & ex alto monte in infimas ualles tubis plumbeis ruentem, hinc tantundem in alterum collem resurgentem, forumq; urbis, quod altissimo in loco est, ascendentem aquam aspicies. Que quidem & magna fuit audacia, & non credendis sumptibus exacta. Brixia Cenomanorum urbs, tantum fructum ex aquæductu in eam procul deducto percipit, ut nemini non liceat, uel priuato, ac plebio emptam aquam deducere in atrium, pomarium, omnemq; domum. Quid cæteras urbes memorem res omnium oculis expositas explicās? Sola ne regina orbis, principum incuria suis in perpetuum commodis ornamentiç carebit. Non redibit, quæ facile redire possit, ad eā uetus pulchritudo? Quid autem ipsi principes morantur, an dum eos manibus prensantes ad ipsas scaturigines per totū aquæductum, ad postremos in urbe puteos, ac spiramenta deducamus, eisq; dextra protensa, effosso colles, uiāq; sectam intra supercilia, & interiore laticis meatum ostendentes, non fabulosa, atq; arbitraria, sed maxime probata nos referre doceamus? Iterum edico oportere exhaustire aquæductum, terra, rebusq; alijs egestis longo tempore eo deuolutis, ex quo uidelicet effracta ad ipsos fontes aquæductu, signinoq; opere deleto, quo latices cogabantur, qui mox semitam illam subterraneā subibant, delapsi per planum ad Anienem redierunt relicto itinere ad Vrbem, ipse autem interior meatus inde procurans uacuus aqua media secat iuga, frequenti puteorum ordine superne perspectus, quos secutus primū in uiam Prænestinam ingredieris, eos semper habens à lœua mul

tis caprifiscis ad fauces enatis, sed cum ad urbem proprius accesseris, oblata ingenti ualle flectit iter à uia Prænestina, uersus septemtrionem per agros, donec transgressus uiam Tyburninam, semper in septemtrionem uersus Anienem descendit. Hoc autem inflexo itinere progressus est per tosum incisum, per specus, aut cuniculos longissimè pertinentes quam opere arcuato nisi cum necessitas compelleret aquam ducere, cum in eo minores sumptus fierent. Nam extruendo opere arcuato, calce, sabulo, lateribus, tum edificandi peritos adhibere opus erat, at effodiendis tumulis, seruorum multitudine res expensie diebatur. Fit quidem ut nonnullis locis cognitionem, indiciaq; aqueductus amittas, nesciusq; per agros circumuagari cogaris, ueluti si quis uenationi insilitat, sed demum reddit in lucem spiramentorum ordo. Quorum pleraq; agricolæ feruntur obstruxisse propter crebros iumentorum casus. Omnis autem hæc spiramentorum uia, facile perspicietur, nullaq; amplius obscuriras scrutantibus offeretur si subeuntes opere meatum aque purgando detexerint, iterq; ante oculos apertum, expeditumq; ad urbem usq; tenere ceperint. Fieri autem id predoctor oportere non æstate, propter algores interius à superno calore refugientes hominibus intolerabiles. Hyeme autem ob diuersam causam supernum frigus, ut in puteis, fontibusq; fit, naturali calore non ferente caliditatem intimus meatus. Supereft igitur ut si cui nostra ætem maximi commodi edendo se se celebrē, & quod caput est, gratum, acceptumq; superis reddere propositorum fuerit, huicq; rei omnibus modis studendum sibi persuaserit: supereft inquam ut tantæ laudis comparanda

dæ occasionem elabi non sinat, neu diutius amissorum fontium incommodum ueterascere, aut hanc aboleri memoriam patiatur, ipsumq; aqueductum, qui tametsi nonnullis iniurijs acceptis, effringi tamen, euertiq; non potuit, saltem ne senio, ac desuetudine fatiscens, funditusq; labefactatum amittamus, ut nulla posthac hominum memoria possit restituiri. Quam quidem iacturam haud inuitus fatear, futuram non mediocrem urbis calamitatem. Et quoniam ea temporum alacritas tenebris abactis renidere iam cœpit, ut in dies urbs ex foedissimis miserijs, quibus esset obruta paulatim resurgat. Iam enim seditionum ciuium, qui quotidianis eam cladiibus deuastabant, furor compressus est. Iam publicis uis, aut in sylvis insidiari soliti latrones è medio sublati sunt, quorū tetrica importunitas infesta omnia itinera rediderat, ipsa autem eorum latibula, densissima nemora penitus patuere, omniaq; in agris aperiri cœperūt. Iam hi, qui ei nihil non iniuriarum ad omne tempus inferre parati essent, longius submoti sunt. In dies autem dominicilijs, uiarum pulchritudine, tectorum uenustate, ad pristinam magnificentiam illustratur, fitq; maior ad eam colonorum concursus, tempus quoq; posceret, ut hæc quoq; redditum fontis faciliter ad eam redeuntibus gratijs adderetur.